

vinciri. Quare, ut ait Guilielmus Parisiensis, lib. I. de rhet. divina, cap. IV. *Ingratitudo magnum diaboli est miraculum.* Moyses pro miraculo, et quidem magno habuit, rubum ardere et non comburi: *Vadam, inquit, et videbo visionem hanc magnum, quare non comburatur rubus,* Exod. III. At nihilominus mirandum est, hominem tot prunis et flammis divini amoris divinatorumque beneficiorum circumdari atque obrui, nec tamen ardere amore Dei reciproco, imo comburi præ amore; nec resolvi in laudes et gratiarum actiones. Miraculum illud rubi causavit Deus, qui in rubo erat: miraculum hoc ingratitude quis causabit nisi dæmon, qui proinde in ingrato existit? *Magnum ergo diaboli miraculum est ingratitude.* Et certe Christus ipse, qui omnium rerum causas perspiciebat, miratus est velut rem insolitam, Luc. XVII. quod decem quidem leprosos sanasset, ex eis tamen non nisi unus rediret, qui Deo gloriam daret gratiasque ageret: *Nonne decem mundati sunt; et novem ubi sunt?* q. d. ferine potest ut vel unus inter eos sit ingratus? Et sint novem ingrati inter decem? Miraculum est hoc. Et tamen hoc miraculum inter homines valde usitatum est, uti inter alios questus est Fridericus imp. de quo Æneas Sylvius, lib. II. comment. in Panorm. n. XXXV. scribit: « *Audivi Fridericum imp. sæpenumero dicentem, ex iis quos extulisset, quam paucissimos gratos fuisse; idque muneribus suis datum esse, ut ex fidelibus infideles fierent.* » Multo verius et justius queri de hoc Deus potest, quod paucissimos habeat gratos ex iis, quos extulerit et gratis cumularit. Quid vero de his S. Augustinus? *Si non laudaverint servi Domini, inquit in Psal. CDXXXIV. ingrati, irregiosos erunt. Quid faciunt non laudando Dominum, nisi ut severum sentiant Dominum?* Et quid mirum? Cum enim Deus ad bona largienda sit pronissimus, ingratitude, quæ hanc ejus propensionem ligat, non potest ei non esse ingrattissima.

Ingrati ergo ligant Deo manus, quominus in posterum benefacere eis queat; non secus ac improba illa cohors, quæ funibus constrinxit et ligavit Christo in Oliveto manus, quibus ipse prius Malcho, uni ex cohorte, restituerat aurem præcisam. Stulti! Itane vobis consulitis fontem ocludendo, unde paulo ante bibistis? Medicum ligando, a quo sanati et sanandi estis? Quid enim si quis vestrum rursus perdat aurem aliudve membrum? Hæc igitur attendentes viri probi et sapientes nihil magis observarunt, quam ut Deo summo benefactori suo pro singulis beneficiis singulares redderent gratiarum actiones. Ita Jacob excitavit altare, ubi illustrationem aliquam accepit a Deo: Josue notatum voluit esse locum, per quem sicco pede Jordanem transivit, erigendo duodecim lapides: Samuel erexit lapidem adjutorii, quo loco Deus hostes populi Hebræi cœlesti fragore coniecit in fugam, I. Reg. VII. alii pro acceptis divinis muneribus carmina panxerunt et decantarunt; uti filii Israel pro liberatione sua de manu Pharaonis, demersi in mare, Exod. XV. Debhora pro victoria obtenta de Sisara, Judic. V. Ezechias rex pro recuperata valetudine, Isa. XXXVIII. Judith pro extincto et debellato Holoferne, Judith XVI. Anna pro obtento filio Samuele, I. Reg. II. tres pueri pro conservatione sua in fornace, Dan. III. et in novo testamento Zacharias, Simeon et Maria Virgo. Denique, quod Moysi Deus olim præcepit, ut pro accepto manna in gratiarum actionem et memoriam beneficii impletet eo modum unum, seu gomor, et custodiret in futuras retro generationes, Exod. XVI. hoc omnibus nobis mandat, ut nimirum memoriam divinatorum beneficiorum in cor nostrum reponamus. Non permisit Deus, ut reservatum illud manna putresceret aliquando, nec sine miraculo, ut observat ibi Abulensis, quæst. XIV. quo nos moneremur jugiter Deo gratias agere, ne memoria benefactoris nostri Dei in nobis unquam computrescat.

IN FESTO S. MICHAELIS ET ANGELI CUSTODIS.

EVANGELIUM. MATTH. XVIII.

In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas major est in regno cœlorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit: qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis: necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini, per quem scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te: absconde eum, et projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus scandalizat te, erue eum et projice abs te: bonum tibi est unum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis, dico enim vobis quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

CONCIONES.

- I. Angelorum custodia ostenditur.
- II. Beneficia angeli custodis spiritualia.
- III. Beneficia angeli custodis corporalia.
- IV. Angeli custodes quibus maxime benevoli et familiares, quibus infensi sint.
- V. Quid debeamus angelis custodibus.
- VI. Expeditiones S. Michaelis.
- VII. Angelorum perfectio et natura imitanda, ex eorumdem pictura.
- VIII. Parvulorum innocentia statuitur in exemplum Christianis.

- IX. Scandali quanta pernicietas.
- X. Documenta et mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Nomine Michaelis terrentur quatuor Luciferi.
- II. Cur angeli juvenili fere specie tantum appareant.
- III. Germani sint Michaelis.
- IV. Astrologia judiciaria reprobatur.
- V. Angelorum lapsus, terribilis eruditio nostra.

CONCIO I.

ANGELORUM CUSTODIA OSTENDITUR.

- I. Ex Scriptura. — II. Ex consensu doctorum. — III. Ex gentilibus. — IV. Rationibus. — V. Ex historiis.

THEMA.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.
Matth. XVIII.

Mirum valde et dolendum est, quod angeli custodes tam sedulo, tam libenter clientibus suis assistant, in omnibus viis se comites præbeant et innumeris modis serviant, interim vero nihil

aut parum gratiæ ab illis reportent. Quam multi enim sunt, qui tota vita sua eos nec honorarunt, nec timuerunt, nec invocarunt, nec gratias illis egerunt, imo nec de iis cogitarunt! At quam turpe esse: habere in itinere longo et periculoso fidum aliquem ducem qui monstraret iter, defenderet, inserviret, interim vero nunquam illi dicere: *Ave*, aut *vale*, nunquam alloqui, nunquam gratias agere? Qui tam turpis error inde mihi nasci videtur, quod pauci serio sibi persuadeant, se custodes habere angelos; sive quod eorum assistentiam et obsequia non observent, sive quod difficile creditu existiment, tam nobiles creaturas vilioribus hominibus deputari ad cus-

todiam et ministerium. Huic igitur errori aut dubio ut occurramus, ostendemus unicuique hominum, suum esse custodem angelum.

I. Ostenditur ex Scriptura. Primo, Gen. XLVIII. ait Jacob: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris illis.* Quis angelus eum juvans in omnibus periculis, nisi custos? Et si talem habuit Jacob, quidni et homines alii? Annon in paribus periculis omnes homines?

Secundo, Psalm. XC. ait David: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Loquitur de justis, quos peculiari cura servant angeli. Alligavit quidem dæmon hunc versiculum quasi de Christo scriptum, sed perperam. Christus enim non habuit angelos custodes sed ministros, ut docet Sanctus Thomas, I. p. CXVIII. art. IV. ad 1. Quin ut Deus erat custos angelorum; ut homo secundum animam fuit beatus, et ita non eguit custodibus secundum carnem, sat superque protegebatur a Verbo divino, hypostatice sibi unito. Sed cur angelis inquit, et non angelo? Quia præter custodem peculiarem, habemus et communes, qui præsent nostris civitatibus et regnis, etc. Quid si justus custodem angelum habet: cur non et mali et infideles, qui ejus opera magis indigent, saltem et minus peccent? Certe angelum Persiæ præpositum reperimus, Dan. X.

Tertio, in hodierno evangelio ait Dominus: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* « Hinc manifestum est, (inquit S. Chrysost. hom. LX. in Matth.) quia omnes sancti angelos habent: » et S. Basilius, in I. III. in Eunomium: « Neque hic veritati, inquit, ab aliquo contradici potest; manifesta enim sunt verba Domini apud Matthæum: Ne contemnatis unum de pusillis istis, nam angeli eorum, etc. »

Quarto, Actor. XII. discipuli Domini audientes Petrum a carcere liberatum esse et pulsare ad fores domus, cum id credere non possent, dicebant: *Angelus ejus est:* ergo in ipso primitivæ Ecclesiæ exordio recepta fidelium veritas fuit, habere quemlibet hominem angelum suum.

II. Ostenditur ex consensu doctorum, Origenis, homil. XXV. in Lucam; Gregorii Nazianzeni, orat. in Sanctum Joannem Baptistam; Chrysostomi, homil. LX. citat. Basilii jam citati, qui etiam conc. IX. in Psalm. XXXIII. sic scribit: « Omni credenti in Dominum angelus assidet, si non ipsum nos per prava opera fugaverimus: » et S. Hieronymus, in cap. XVIII. Matth. « Magna est dignitas animarum, (inquit) ut unaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodia sui angelum delegatum. » Gregor. Nyssen. lib. de vita Moysis ait: « Occultior traditio est verus sermo ad nos

usque descendit, quo creditur, postquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omnino clementia divina neglectam, nec absque suo patrocinio dimissam, sed angelorum, qui natura incorporei sunt, aliquem in adminiculum cuique constitutum esse. » Origenes in Num. hom. LXVI. « Adest unicuique nostrum (inquit) etiam minimo qui sunt in Ecclesia Dei, angelus bonus, angelus Domini qui regat, qui moneat, qui gubernet, etc. »

III. Confirmatur ex ipsis gentilibus. Platonici enim philosophi censebant hominem quemlibet suum dæmonium habere. Hinc illud Socrati celebratum dæmonium a quo dicebat se custodiri et ad bonum induci, a malo revocari, apud Apuleium, libro de hoc edito, et Cicero, lib. I. de divinatio. et Chalcidius super Timæum, lib. I. qui ait, Socrati a puero dæmonem comitem rerum agendarum præceptorem fuisse, ut prohiberet quod fieri non expediret. Ad hæc gentiles suum cuique genium esse dicebant: eique die natali munus annale solvebant, et rem sacram mero et floribus faciebant. « Genius (inquit Censorinus) ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris acceptos, ad extremum vitæ diem comitetur. » Appellatum autem genium, ait, sive quod in ejus tutela, ut quisquis natus est, vivit: sive quod nos genitos suscipiat et tueatur. Ut refert auctor antiquit. Roman. lib. II. cap. XIV. Seneca, in epistola ad Lucillum ait: « Sacer inter nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos, etc. Ille dat consilia magnifica, etc. » Eundem Menander apud Lipsium in Stoica philosoph. vocat moderatorem et mystagogum: « Omni homini, inquit, dæmon assistit, mox ut nascitur vitæ mystagogus. » Denique Clemens Alexandrin. lib. VI. Strom. « Per gentes (inquit) et civitates dispositæ sunt angelorum præfecturæ: neque istud ignoraverunt Romani, in quorum urbe seimus templum fuisse genii publici, sive genii populi Romani, suos item coloniis genios, ipsi principi seorsim suum, grandiosem aliquem grandiori, etc. »

IV. Ostenditur idem rationibus. Primo, ex parte Dei; quia lex est divinæ providentiæ et sapientiæ, ut extrema reducat ad prima, et gubernet per media. Angelus autem est medius inter Deum et hominem tum ratione naturæ immortalis, tum ratione gratiæ consummatæ: debet ergo per illum homo redire ad Deum. Ad hæc in dispositione universi videmus corruptibilia et mutabilia gubernari per incorruptibilia et immutabilia, uti sublunaria per celestia.

Cum ergo homo fit defectibilis, debet gubernari ab angelo, qui est immutabilis in bono, et incorruptibilis.

Secundo, ex parte angeli, primo, quia est civis noster et conservus, uti ait ille qui Joanni apparuit apostol. XVI. dicens: *Conservus tuus sum et fratrum tuorum.* Sumus enim ejusdem naturæ rationalis, et ejusdem cum angelis gloriæ cohæredes: debet ergo esse commercium et societas inter nos et illos. Et quo meliore modo, nisi cum illi magistri et duces nostri sunt?

Secundo, quia non debet esse pigrior in angelo charitas ad nos juvandos, quam sit dæmonis malitia et in vidia ad nocendum nobis. Hi autem semper nobis obesse student, ergo illi prodesse. Neque dubitandum quin libenter nos custodiant, ut docet S. Bernardus, sermon. de Divo Michaeli, primo, propter Deum, cujus erga nos misericordiæ viscera imitantur: secundo, propter nos, in quibus propriam similitudinem miserantur: tertio, propter seipsos quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur. Adde et propter dæmones, quos cane pejus et angue oderunt.

Tertio, ex parte dæmonum, qui sunt astutissimi, potentissimi et nobis infensissimi ac nocendi cupidissimi. Decuit ergo homini impugnando a tanto adversario constitui defensorem angelum, præsertim quia cum sit homo carne circumdatus, et hostem illum cernere nequeat impar est ad præliandum cum dæmonibus, nisi a potentiore adjuvetur. Sic David fuisset insufficientis ad vincendum Goliathum, nisi ab angelo adjutus fuisset, quod inde colligi videtur, quod Goliath ex ictu cecidit pronus non supinus: qui nimirum angelus Domini percussit eum pone, ut ait Pantaleon de S. Michaeli. Quanto minus sufficeremus nos sine angelo ad vincendum dæmonem?

Quarto, ex parte hominis, qui per lapsum primi parentis, admodum debilis et lippus factus est, ad malum flexilis et pronus, ad veritatem cognoscendam rudis; similis puero qui sedet super equo indomito amisso fræno: similis civitati a numero exercitu obsessæ, in qua præsidarii milites pauci et imbecilles, multi vero factiosi conspiratores contra dominum illius sint. Quis nisi alterius potentis ope adjutus tueri talem civitatem posset? Reperimus in natura ejusmodi præsidium indigenti bruto collatum esse a Deo. Plinius, lib. IX. c. XLII. de pinna ex concharum genere scribit: « Pinna nunquam sine comite est, quem pinnoterem vocant, alii pinno-phylacem, is est squilla parva, alibi cancer dapis affectator. Pandit se pinna, luminibus orbatur

corpus intus minutis piscibus præbens. Assultant illi protinus, et ubi licentia audacia crevit implent eam. Hoc tempus speculatus index, morsu levi significat. Illa compressa, quidquid inclusit exanimat, partemque socio tribuit. » Simile de certo scribit Ælian. lib. II. histor. anim. c. XIII. « Fere cetorum genus aliquo duce indiget ad suum motum regendum et moderandum, cujus oculis quasi ducibus ipsum utitur ad videndum. Is autem dux, ut periti harum rerum confirmant, piscis est albo colore, prælongo capite, angusta cauda. Hunc ne duce cuique ceto natura dederit, an quadam amicitia ductus ipse ultro cetos antegrediatur, difficile est constituere. Certe piscis a ceto nunquam separatus, meare cernitur, sed ejus caput antegrediens, quasi temo et dux ejus existit: cuncta illi præsentit et providet extremaque cauda præmonstrat tum declinanda, tum persequenda, cibum ei conciliat, insidiasque a piscatoribus positas signo prodit: ei ubi occurrunt brevina, nec propter molem corporis in illis hæreat tempestive præsignificat, ut alio meatum declinare possit. Cum autem ad nimiam pinguedinem ceti perveniunt, amplius nec videre nec audire possunt, carnum mole, audiendi videndique meatu obstruente. Quod si eo duce carerent, haud dubie illis pereundum esset. » Hæc Ælianus.

Quare si animalibus, quæ sibi non sufficiunt, ejusmodi custodes et duces attribuit Deus, homini debilitato et propemodum cæcato denegaverit? Numquid de piscibus est cura Deo, et non potius de hominibus? Et certe aliis omnibus animalibus dedit Deus arma, quibus se defenderent contra hostes suos vel pericula effugere possent: aliis dentes, aliis cornua, aliis pedes veloces, etc. plantis item aliis spinas, aliis cortices, aliis alia. Et cur soli contra potentissimum ejus hostem, nullum daret præsidium?

V. Ostenditur ex historiis. Inter alias de S. Onuphrio legimus in ejusdem vita, cum deambularet in solitudine, comitem illi se adjunxisse angelum dixisseque: *Ab hora natiuitatis tuæ ductor et socius tuus extiti.* Cum eodem suo custode Joan. Carera societatis Jesu tanto erat et tam familiari conjunctus usu, ut veluti intimo cum amico sua consilia sermonesque conferret: sæpe ad eum de suis rebus dubiis arduisque referret, sæpe interrogaret exquireretque consilium: vicissimque ei angelus ad omnia notis usitatisque vocibus responderet.

Denique, in eam s. angeli familiaritatem venerat, ut ab eo quotidie horis antelucanis ad orationem excitaretur e somno. Quamquam hanc consuetudinem angelus aliquando intermisit,

quod excitatus ab se mane Joan. languore ac lassitudine victus, non e cubili protinus surrexisset, ut habetur in historia societatis Jesu, p. I. l. XI. n. LXVI. His accedit S. Francisca vidua Romana, quæ mira sanctitate vixit, et vitam angelicam simili morte conclusit ann. Domo. 1440. quamque vidi Romæ a Paulo V. pontifice in sanctorum catalogum referri. Hæc continuo cernebat angelum suum, quasi juvenem elegantissimum, acris oculis, et vultu in cælum semper suspiciente, ac manibus in formam crucis cancellatis (unde et tali figura angelus impingitur ejus imagini) facie ita coruscante, ut ipsa vix in eam intendere posset, ita ut in hoc ejus lumine sine candela noctu per domum ambularet, recitaret divinum officium aliaque exercitia sua perageret. Si ipsa morbo laborabat, aut dæmonibus verberabatur, vel terribilibus spectris percelleretur, vel quasi ab angelo lucis tentabatur, angelus dabat ei signum movendo crines suos iisque spargendo magnam lucem, ex qua illa miram accipiebat consolationem, illuminationem et robur, ita ut dæmones confusi abscederent. Quod si quid ipsa verbo, opere aut cogitatione peccasset, subducebat se et disparebat angelus: inde ipsa pœnitens culpam indagabat, eamque agnitam lacrymis abluebat, itaque angelus rursus ei suam præsentiam exhibebat, ut in ejus vita, c. IV. videre est. Denique, S. Cæcilia virgo Valeriano desponsa, prima nuptiarum nocte hunc ad eum sermonem habuit: *Ego Valeriane in angeli tutela sum, qui virginitatem meam custodit: quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te concilietur.* Permotus eo verbo sponsus etiam in Christum se crediturum dixit, si angelum illum videret. Vidit ergo et credidit, breviar. Rom. 21. nov. ex vita. Ita S. Agnes, cum minaretur ei præfectus prostibulum, dixit: *Mecum habeo custodem corporis mei angelum Domini, ut ex ejus vita, idem breviarium.*

Quæ cum ita sint, merito admiramur Dei erga nos bonitatem, qui tam nobiles principes ad nostrum destinavit obsequium. Hinc exclamant S. Bernardus, serm. XII in Psalm. XC. « Mira dignatio et vere magna dilectio charitatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit? Summa majestas mandavit angelis, et angelis suis mandavit. Illis utique sublimibus, tam beatissimis, tam proximis sibi coherentibus, tam familiariter adherentibus et vere domesticis Dei. Mandavit de te: Tu qui es? Domine quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam reputas eum? Quasi vero non sit homo putredo, et filius hominis vermis? Sed quid putas mandavit de te? Numquid scripsit contra te amaritudi-

nes? Numquid ut contra folium quod vento rapitur, ostendant potentiam suam, et stipulam siccam persequantur? Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te, etc. » Ergo auditores, gratias agamus Deo imprimis, qui ad custodiam nostram destinavit nobis angelos suos. Deinde, etiam angelis ipsis, qui nos custodire minime detrectant. Nemo nostrum sit, qui in hac vitæ nostræ peregrinatione cum angelo suo non crebro colloquantur et piam familiaritatem contrahat, honorando, invocando, timendo, amando eum. Ita enim fiet ut libenter nos custodiant et demum ad cælestes suos choros evehant.

CONCIO II.

BENEFICIA ANGELI CUSTODIS SPIRITUALIA.

I. Adstat: 1. Defendit. 2. Consolatur. 3. Offert orationes. — II. Illuminat. — III. Excitat et absterret. — IV. Peccandi occasiones amovet. — V. Ad progressum virtutis animat. — VI. Tentationes refringit. — VII. Ad cælos educit.

THEMA.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.
Math. XVIII.

De primo nostro papa apostolo Petro, mirabilem legimus historiam et omni acceptione dignam, Actor. XII. Cum enim rex Herodes misisset eum in carcerem ut eum interficeret in favorem Judæorum, quemadmodum fecerat et Jacobo, dormiebat ibi Petrus inter duos milites, vinctus catenis duabus, sequenti die producendus ad necem. Sed: « Ecce angelus Domini adstitit lumen refulsit in habitaculo, percussitque latere Petri excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. Dixit autem angelus ad eum: Præcinge te et calcea te caligas tuas, et fecit sic, et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum et sequere me. Et exiens sequebatur eum. Transeuntes autem primam et secundam custodiam venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultro aperta est eis. Et processerunt vicum unum, et continuo discessit angelus ab eo. » Nescio sane qua ratione melius describere possem statum peccatoris. Tenet hunc in carcere suo dæmon et quantum in ipso, machinatur ei interitum nullo non temporis momento. Miser peccator tanta in miseria sui oblitus secure dormit vinctus catenis duabus, præsumptione scilicet misericordiæ divinæ, et exemplo aliorum reproborum: velut inter duos milites, spem vitæ longioris et consuetudinem pec-

candi: sed angelus tamen custos adest suo clienti, et statum illi suum quasi ad lumen præsentat; deinde pulsat eum et a somno excitat, catenis liberat et e carcere educit, pristinaque libertati filiorum Dei restituit. Cæterum per hæc spiritualia beneficia angeli custodis designantur, ut videbimus.

I. Adstat, et quidem variis modis. Primo, defendendo peccatorem ab ira et vindicta Dei, suis interpellationibus. Quemadmodum enim angelus, Gen. XXII. tenuit manum Abrahamæ, ne ferret et immolaret filium; sic absque dubio sæpissime tenet manum Dei, ne perdat peccatores. Novimus ex evangelio quid decreverit Dominus vineæ, de ficulnea infructifera, cum dixit cultori: *Succide eam, ut quid etiam terram occupat?* Luc. XIII. Sed vineæ cultor pro ea Dominum orabat atque aiebat: *Domine dimitte eam etiam hoc anno, donec fodiam circa eam et mittam stercora.* Ejusmodi ficulnea nos sumus. Venit tertia ætas, id est, virilis vel annus trigesimus, et quærit in nobis fructum Dominus, sed nihil invenit nisi avaritiam, superbiam, ebrietatem, etc. Succide ergo hujusmodi hominem, ait. Sed vineæ hujus cultor angelus custos pro eo Deum rogat: O Domine, dona ei adhuc spatium pœnitentiæ; et ego fodiam circa illum et ponam stercora, id est, auferam ei nimiam terram prosperitatis, sanitatis, etc. et ponam in conspectu ejus peccata ejus etc. ut confessus respiscat.

Secundo, consolando afflictos. Sic locutus est ad Zachariam consolatoria verba, Zachar. I. sic adstitit Tobiam cæco Raphael: *Gaudium tibi sit, inquiens, et forti animo esto, in proximo est ut a Deo cureris,* Tob. V. sic consolatus est Magdalenam ante sepulcrum plorantem cum dixit: *Mulier quid ploras?* sic Hebræos ab hostibus afflictos, Jud. II. ita in nova lege sæpe consolati sunt martyres in carceribus et suppliciis: Sanctum Sebastianum pallio candidissimo induerunt: Sancto Petro crucifixo, cum coronis de floribus rosarum et liliorum adstiterunt; tametsi vero martyres non sumus; semper tamen patiendi occasionem habemus; aut enim corpori male est, aut animæ, etc. Tunc erigunt animam peccatricem, proponendo ei Dei benignitatem, exempla aliorum, etc. « Fidelis paranympus, inquit S. Bernardus, discurrit medius inter dilectum et dilectam, vota offerens et referens dona: excitat istam, placat illum, etc. »

Sic S. Jacobum Germanum ordinis S. Dominici, quem diabolus quidam uti perpetuo vexabat, ita verberibus onerabat, quoties ille orationem frequentabat: sed dæmone abscedente mox angelus de cælo aderat eumque suavissima consolatione

perfundebat dicens: « Serve Dei esto fidelis usque ad mortem: expecta Dominum, viriliter age et confortetur cor tuum, ingentia sunt enim quæ tibi pro parvo labore atque certamine præmia proponuntur, » apud Surium, 11. octob.

Tertio, excipiendo orationes nostras et offerendo eas Deo. Sic Raphael ad Tobiam ait: *Quando orabas cum lacrymis et sepeliebas mortuos et derelinquebas prandium, etc. ego obtuli orationem tuam Domino:* et Apoc. VIII. vidit Joannes angelum stantem ante altare aureum, adolentem incensa multa (*quæ sunt orationes sanctorum*) super thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum omnium super altare aureum. In quem locum S. Bernard. serm. I. de angelis ait: « Angeli nostros sudore non suos, nostras non suas lacrymas offerunt Deo, nobis quoque ejus munera referunt: » et S. August. soliloq. c. VII. « Gemitus nostros atque suspiria referunt ad te Domine, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem. » Nec parvum hoc est beneficium. Nostræ enim orationes plerumque imperfectæ, ab angelorum manibus et absque dubio aliquid valoris acquirunt, sicut cum cibi viles in pulchris patinis vel a nobilibus apponuntur ministris. Ideo Ecclesia in missa petit sacrificium id offerri Deo per manus angeli. In cujus rei confirmationem: Vixit ætate Serionis abbas monachus quidam tam sanctæ conversationis, ut peragens aliquando officium sacræ missæ, dum recitaret illa verba: *Supplices te rogamus omnipotens Deus: jube hæc perferri per manus s. angeli in sublime altare tuum,* conspexerit circum altare complures angelos, quorum unus cæteris altior sacram hostiam Deo, tamquam ibidem visibiliter præsentem offerebat, et mox eadem super altare collocata disparuit. Unde D. Bonaventura, in soliloq. animæ et corporis, cap. I. ait: *O anima si videre posses quanto gaudio angeli assistunt orantibus, intersunt meditationibus, etc.*

II. Lumen refulsit in habitaculo, ad indicandum, quod angelus custos illuminet hominem. Docet enim interdum secreta Dei consilia, ut Abrahamum, quid cum Sodomis acturus esset, Gen. XVIII. Danielem, quando Messias venturus esset, Dan. IX. potissimum vero ea, quæ homini conducunt ad bene vivendum, uti Tobiam, quomodo ducere deberet uxorem. Sic docent sæpe per inspirationes, librorum spiritualium exhibitionem, vel ad concionem adducendo, vel exempla salutaria proponendo, quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens, quid agendum, quid fugiendum sit, ubi venenum et anguis sub herba lateat: sic Tobiam docuit rationem fugandi et compescendi dæmonem per cor, fel et jecur piscis; spirituali-

ter, ut postea aperte dixit, per orationem, jejunium, et eleemosynam, cum discessurus dixit: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna*: cor designat orationem; fel jejunium, utpote gustui adversum; jecur seu hepar, quod cæteris membris alimenta et sanguinem subministrat eleemosynam: sic docuit Gedeonem rationem vincendi dæmonem, Jud. VII. cum e triginta duo millia militibus ejus jussit imprimis separare et dimittere omnes timidos formidolosos.

Secundo, omnes eos, qui more canum ex amne proni biberent, reliquos, qui trecenti tantum erant, ducere contra Madian. Quid enim hoc aliud docebat, quam quod ex multis etiam Christianis pauci sint veri milites et victores? Alii enim formidolosi sunt veluti qui timent ne venter crepet, si jejunent; ne cum liberis suis ad inopiam redigantur, si eleemosynas largiantur: qui verba et cogitationes hominum verentur; si pie incipiant vivere, injurias condonent, choreas et symposia vitent: qui denique laborem penitentiae fugiunt, Alii nimia aviditate se in terrena bona ingerunt per avaritiam, superfluum ornatum, nimium luxum et voluptatum consecrationem. Hi enim omnes inepti sunt ad militiam christianam. Sic docuit Arsenium, cum ei ostensurus opera hominum, primo, Æthiopem ostendit ligna scindentem et colligantem in fasciculum, qui cum justo majorem tollere in humero ac gestare nequiret, plura adjecit ligna et falcem ponderosiorum fecit: deinde, alium qui ex lacu aquam hauriens, misit eam in canalem perforatum, unde mox effluebat: denique, duos equites lignum transversum gerentes per templi portam cum eo ingredi frustra conantes, quia scilicet oblique id ferebant. Quid vero sibi isti vellent, mox exposuit angelus: « Qui lignum quidem portant, inquit, ii sunt, qui propriae confidentes justitiae, ad viam humilitatis omnem sibi obstruunt aditum: et ideo ut foris maneant, et ut a regno cælorum arceantur, ii sibi causa sunt. Qui vero fundit aquam in canalem perforatum, bona quidem facit opera, jejunat, orat, benefacit; sed studet etiam videri ab hominibus, et ideo frustra operatur et mercede, quæ debetur, privatur. Qui autem ligna scindet et onus conficit, is est, qui multis quidem gravatur peccatis, pro eo autem quod deberet ea reserare penitentia et diligentia, ostenditur alia potius addere, » apud Math. Raderum, II. p. virid. ss. cap. XIV. Joanna Urbivetana virgo, ordinis Sancti Dominici, adhuc parvula orbata parentibus dicebat se ab angelo custode fidei et pietatis documenta accepisse: unde et gratiam baptismalem conservavit usque ad mortem, Seraphi. Raz, in l. ff. ord. Prædicat. Protervus quidam Arianus

videns quemdam angelum loquentem ad Sancti Ambrosii aurem, cum verbum Dei prædicaret, conversus inde ad veram fidem fuit, ut refert Sanctus Paulinus, in vita Sancti Ambrosii.

III. *Percusso latere Petri excitavit eum dicens: Surge velociter.* Ita angelus custos clientem suum partim a peccato deterret et coeret, partim a somno peccatorum excitat. Refert Isidorus, cap. XIV. lacertulam quamdam esse, nomine saniam, quæ, si videat serpentem homini dormienti insidiari, involat in faciem ejus, et scalpendo ac vellicando excitat eum, ut evigilet et sibi a præsentis periculo caveat. Adamus talis est angelus custos, qui cernens hominem in peccato stertentem, vel de salute periclitantem, continuo vellicat modo internis hortatibus, modo externis mediis; quomodo excitavit Josephum in somnis, ut surgeret et acciperet puerum Jesum fugeretque in Ægyptum. Pulsat etiam quandoque et increpat, ac peccata commissa exprobrat. Sic Judic. II. exprobrat Israelitis beneficia a Deo accepta usque ad occupationem terræ sanctæ, et simul eorum ingratitude et inobedientiam, quod cum incircumcis inierint fœdus et pacem. Unde ipsi elevarunt vocem et fleverunt, ita ut locus ille, locus flentium diceretur, et immolaverunt hostias. Sic Apatolium hæreticum eo usque angeli punierunt donec reduceretur ad fidem veram, ut refert Eusebius, lib. V. histor. c. ultimo. Exemplum recens refert Franciscus Albertinus soc. Jesu in lib. de ang. custod. c. XV. de viro quodam, qui Cosentia in Calabria patri cuidam societatis confidens ab eo interrogatus est, quam ob rem eo die potissimum tanta festinatione ac desiderio peccata confiteretur? « Audi, respondit ille, aliquantisper pater, rem admiratione dignam aperiam. Nudius tertius consilium mihi ineunti, cum uno ex amicis meis, quo pacto commodius injuriam mihi a quodam irrogatam ulciscerer, persuasit ille ut ambo eodem vespere bombardis armati eum persequeremur; e vestigio igitur facto proposito domum petii. Cum autem arrepta fistula ferrea rotulas ac silices præpararem, ut ne in explosione fortassis munere suo non fungerentur, ecce tibi speciosissimum juvenem, cujus nescio an pulchritudo gravitati, an hæc pulchritudini potius ornamento esset, qui gestibus meis aliquamdiu consideratis: Quid meditaris, inquit, mi homo, dic sodes: quid negotii, quæ te cura premit, quod tanta expolis solertia instrumenta mortis? Ego ad hæc consilium cepi dissimulare. Rursum igitur ille zelo et indignatione, ut apparebat, plenus: Quorsum, ait, mentem tuam non detegis? Numnam latere me existimas, quæ hactenus ad expeditiorem designati facinoris

executionem attentasti? Atque ita protracto colloquio in memoriam mihi revocavit, quanta Deus cæli et terræ pro abjectissimo homine perpessus est: necnon ingratitude et peccata mea, quæ pro tam copiosa redemptione illi retribuui: exaggeravit mansuetudinem et longanimitatem ipsius, qui ad hanc usque horam pepercit mihi, tametsi commuerissem mille infernos, maxime cum propositum haberem, pari perpetuo malitia scelera accumulare. Cæterum hisce verbis tam efficaciter cor meum transverberatum est, tam uberes lacrymæ, accensa suspiria et mæsti mox singultus totum me occuparunt, ut anima corpore videretur velle excedere, etc. »

Monuit ergo ut quam primum pater aliquis societatis eo veniret ad confessionem peccatorum faciendam. Interim advenit amicus alter ad facinus eum evocans. Cui iste respondere volebat: sed angelo jubente respondit, et negavit ulla ratione se adduci posse ut conceptum facinus perpetrent: interim angelus, quo loco ab eo relictus erat, disparuit. Quoties suggerit nobis angelus ne peccemus in Christum salvatorem nostrum, quomodo Jonathas suggestit Sauli parenti suo: *Ne pecces rex in David, quia non peccavit tibi et opera ejus bona sunt tibi valde, et posuit animam suam in manu tua*, I. Reg. XIX. Hoc enim nobis fecit et Christus. Et quidem Saul quantum reprobis hoc verbo placatus juravit: *Quia non occidetur David*. Cur non emolliris tu?

IV. *Præcingere et calceæ te caligas tuas*, inquit angelus; et significat angelum custodem peccandi occasiones, et pericula relapsus amovere a suo cliente. Nam ideo jussit Petrum secus accipere vestes, ut ne minimam quidem haberet occasionem redeundi ad carcerem: quam ob causam et Dominus jussit languidum illum apud piscinam sanatum tollere grabbatum suum et abire: et Moyses noluit ut filii Israel relinquerent in Ægypto vel ungulam de rebus suis. Amolitur itaque bonus angelus nobis peccandi occasiones plurimas, in quibus caperemur, nisi tollerentur. Et ideo dixit David ad virum istum? *Angelis suis Deus mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. Quid enim lapides in via nisi scandala et peccandi occasiones, ac laquei, quibus, ut vidit S. Antonius, mundus est plenus? Istos igitur removet vel abscondit nobis, sicut mater abscondit infanti cultrum aut quid noxium. ne id videns infans statim habere velit ad suam perniciem; vel monet ne impingamus in obvios lapides, v. g. si quem errantem fraterne corrigas et ille, cum gratias agere deberet, maledictis te proscindit; cogitabis enim forte si hæc est mea

merces, omittam in posterum admonitiones, dimittam illum ire in adinventionibus suis et perire.

Ecce lapidem; sed angelus venit et tibi suggerit, non esse curandum quid homines cupiant, sed quid Deus jubeat: et ab hoc non ab aliis mercedem expectandam. Rursum bonus aliquis opifex aut mercator, nemini iniquus, ab impostore forte decipitur falsa aliqua moneta. Forte is cogitabit: Si ita mecum agitur, decipiam et ego eadem moneta alios. En lapidem; sed occurrit angelus et in corde ejus dicit: Quid turbaris ob rem tam modicam? Num pro nugis istis cælum vis perdere, aut similis fieri perditissimorum hominum, qui mala pro bonis reddunt, aut pollicitorum, qui mala pro malis: et non potius Christianorum, qui bona pro malis reddunt? Sic Lothum monuit et tandem eduxit e societate perditorum Sodomitarum, ne simul cum illis periret. Evocat enim e societate malorum, et nisi pareamus, dulciter cogit impetrando a Deo flagellum ægritudinis, aut alterius afflictionis, qua exire compellamur. Sic Balaamo obstitit in via, ne pergeret ad maledicendum populo Hebræorum, et avaritiam suam exsatiandam, stricto gladio in angustia duorum parietum. Ita enim angelus representat peccatori divinam vindictam; deinde, mortis inevitabilitatem, ubi regredi et recuperare præteritos annos non licebit; denique, rigorem judicii inter æternam gloriam et gehennam: quomodo S. Petrum Cælestinum acriter reprehensum et castigatum fuisse ab angelo ob quasdam levitates pueriles, refert Surius, die 19 maii.

V. *Sequere me*, inquit angelus; quo verbo indicat angelum custodem addere animos suo clienti ad progrediendum alacriter in via Dei. Hoc enim fecit angelus Eliæ tendenti ad montem Dei Horeb, defatigato, III. Reg. XIX. dicens: *Surge comede, grandis enim restat tibi via*: hoc fecit Gedeoni, cum animavit eum ad bellum suscipiendum contra Madian, Jud. VI. hoc juniore Tobie cum confirmavit eum ad piscem apprehendendum et extrahendum, Tob. VI. simili ergo modo quando deficiamus in aliquo labore vel sub aliquo onere, angelus Domini confortat nos, et sublevat spiritali quadam dulcedine et solatio. Quando horror nos invadit, cum aliquid arduum aggrediendum, vel difficultas superanda est, animos nobis addit, ut apprehendamus cetum. Novit enim bonus angelus ingenium diaboli, quod nimirum instar crocodili fugientes insequaret et insequentes se fugiat. Unde suadet id Jac. IV. *Resistite diabolo et fugiet a vobis*.

Id vero maxime præstat in maxima hominis necessitate et angustia, mortis videlicet articulo.

Scit enim ibi malum genium suas exercere vires, et tunc descendere habentem iram magnam, scientem quia modicum tempus habet, Apoc. XII. Idcirco et ipse suis maxime tunc adest. Fecit hoc angelus Christo agonizanti: *Confortans eum, ut S. Lucas ait.*

Licet enim Christus non egerit confortatore, voluit tamen eum admittere, tum quia seipsum noluit confortare, siquidem propter nos omnem consolationem sibi denegabat, tum ut ostenderet angelos custodes adesse suis in rebus maxime desperatis, et maxime quando Dei causa aliquid patiuntur. In articulo autem mortis homo maxime desertus est, et humanis auxiliis destitutus.

In Mexicana provincia anno 1587. cum infirmus quidam metu mortis vehementer consterneretur, evenit, ut die quadam conspiceret pulcherrimum juvenem, qui circumdatus admiranda luce, illi appropinquare et demonstrare cepit (quo amaritudo gravissimæ ipsius tristitiæ aliquantum leniretur) montes aliquot opertos auro ac margaritis, in quibus clarissimis vestibus ac vultibus conspicui innumeri homines mutuis sese applausibus ac solatiis recreabant: tum omnia singulatim contemplari jussit ac dixit, hunc paradisum esse et exultantes homines esse sanctorum animas, qui sub insignibus christianæ fidei sancte viventes feliciter obiissent.

Unde juvenis visione adstantibus recitata tam flagranti illius regni desiderio accensus fuit ut jam nihil magis optaret, quam vitam hanc deserere, ex litt. annuis societatis Jesu, anno 1587. En quid angelus custos faciat.

VI. Duxit angelus Petrum per primam et secundam custodiam, inadvertentibus et forte sopitis custodibus. Sic angelus custos illæsum sæpe ducit per tentationes dæmonis et carnis, dum earum vim refringit. Cujus figuram cernere est in illo angelo, qui luctans cum Jacob, tetigit nervum femoris ejus, qui ex hoc emarcuit, Genesis XXXII.

Nervus iste vim concupiscentiæ designat, quam ita enervat angelus, ut ne supra vires hominem tentet atque opprimat: dæmones vero sopit, vel eatenis alligat sicuti canes feroces, ne in obvios irruant pro libitu. Sic angelus præses Israelitarum obstitit Balaamo, primum ne pergeret ad maledicendum populo sibi commisso, tum ire permisit, sed hac conditione ut ne aliud loqueretur, quam ei ipse præcepturus esset, Num. XXII. atque ita cupiditatem maledicendi in eo repressit.

Ita angeli boni permittunt quidem dæmoni, ut nos tentet, sed tamen cupidinem et furorem ejus retundunt: ne vehementius nos impugnet, quam vires nostræ ferant.

Ita duxit illæsam per castra hostium Juditham: *Vivit ipse Dominus, inquit, quoniam custodivit me angelus ejus et hinc euntem et ibi commorantem et inde huc revertentem, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, Judith XIV.*

Denique, hoc figuratum fuit in angelo, qui excussit flammam ignis de fornace et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem ut non tangeret tres pueros, Dan. III.

VII. Demum eduxit eum per portam ferream ultro apertam, e carcere per vicum unum in civitatem et libertatem. Sic etiam angelus custos educit tandem clientem suum ex ergastulo corporis, per ferream mortis portam, et per vicum iudicii particularis in cœlestem civitatem et securam libertatem. Testis hujus rei Christus ipse, qui Lazarum ab angelis portatum esse in sinum Abrahæ dixit, Luc. XVI. testes sanctorum vitæ, quorum plurimi a sanctis angelis suscipi et ad superos gestari visi sunt.

Velut Sanctus Martinus, Sanctus Dominicus, mendicus ille Servulus apud S. Gregorium M animam S. Guilielmi abbatis vidit per duos angelos elevari ad cœlum Gomundus ejus discipulus: animam Sancti Pauli eremitæ Sanctus Antonius: animam Sancti Germani episcopi, Sanctus Benedictus: Petrus exorcista et Marcellinus cum sociis martyribus a spiculateore visi ab angelis in cœlum ferri, unde is conversus est, etc.

Felices vero illi, quibus ultro se aperit mortis janua, id est, qui libenter, prompte et hilari animo mortem appetunt, qui Domino pulsanti confestim aperiunt: *Beati enim sunt servi illi.*

Quæ cum ita sint, videat nunc quisque, quid angelo suo debeat. Petrus sane his peractis ad se reversus, Deo gratias egit: *Nunc vero scio, inquit, quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis et de omni expectatione plebis Judæorum.*

Deinde, hoc beneficium alii annuntiavit et undique prædicavit. Sic et nos Deo grati esse debemus, eumque prædicare et benedicere, qui tanta nobis præstat per angelum custodem.

Deinde, custodem ipsum revereri et audire momentem. Et vere modo certo sciremus seu firmiter crederemus, angelum esse, qui nos custodiat et tot beneficiis cumulet, quomodo eum non amaremus, coleremus, audiremus.

CONCIO III.

BENEFICIA ANGELI CUSTODIS CORPORALIA.

I. Ducit et comitatur. — II. Victum suppeditat. — III. Nuptias prosperat. — IV. Hostes compescit. — V. Pacem inter conjuges conciliat. — VI. A periculis servat. — VII. Medicinam præstat. — VIII. Replet omni bono.

THEMA.

*Angeli eorum semper vident faciem
Paris mei. Matth. XVIII.*

Legimus in libro Tobiae, cap. V. seniore Tobiam junxisse filio ut in Rhages Medorum abiret repetitum decem talenta argenti a Gabelo, quæ crederat illi adeoque socium itineris sibi quæreret virum fidelem, qui eum duceret et reduceret. Paruit filius et egressus invenit juvenem splendidum, stantem præcinctum et quasi paratum ad ambulandum: qui non difficulter socium itineris, utpote sibi perspecti se obtulit et adjunxit, fuit autem is angelus Raphael, multa qui ei beneficia impertit per viam, quæ filius recenset patri c. XII. *Me duxit et reduxit, inquit, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem me habere fecit, et dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, et bonis omnibus per eum repleti sumus.*

Videtur mihi Deus in hoc archangelo Tobiae ductore veluti imagine depingere voluisse beneficia angeli custodis corporalia. Senior Tobias Deum repræsentat, qui quemlibet hominem veluti filium et facturam suam, cum in hunc mundum pro honorum operum meritis cumulandis misit, velut in Rhages pro pecunia repetendam misit (Rhages enim commotio seu tempestas exponitur, et bene mundum hunc designat), sed quis itineris comes et dux futurus? Uti junior Tobias domo egressus mox invenit angelum: ita infans quilibet vix materno prodit utero, et en occurrit angelus, quem Deus ab æterno custodem ei destinavit.

Hinc ille splendidus est juvenis, nostræ peregrinationis comes, præcinctus ad ambulandum et per vitæ hujus viam plurima nobis beneficia conferens tam spiritualia, quam corporalia: sed nos in præsentiarum corporalia tantum videbimus, ab hoc angelo Tobiae potissimum exhibita.

I. *Me duxit et reduxit, inquit Tobias: ad eundem modum angelus custos in via et itineribus fidelissimus nobis est comes, ductor et reductor.* Sic angelus Domini præcedebat castra Israel in columna nubis monstrans eis iter per desertum,

VI. PARS FESTIVALIS.

Exod. XIII. id quod etiam præstitit exercitui Christianorum insidiis circumvento, cum is ab obsidione Bostri Arabum metropoli recederet, anno Domini 1144. quando terra sancta et Jerosolyma adhuc in nostra erat potestate.

Cum enim ut scribit Guilielmus Tyrius, lib. XVI. capite XII. in inevitabilia incidisset discrimina, et errarent omnes in invio et in via et angustiis locorum interclusi essent, ab ingruentibus hostibus cædendi, nec haberent ducem qui agmina præiret et locorum, per quæ transituri erant, haberet peritiam: ecce subito cohortes præcedens miles quidam ignotus, albi sessor equi, rubei coloris vexillum bajulans, lorica indutus, curtis usque ad cubitos manicis antecederat exercitum.

Hic tamquam angelus Domini exercituum viarum sequens compendia et ad aquas prius congruis et commodis stationibus castra metari ducebat. Qui illis deductis Jerosolymam usque illo admirabili perfunctus ministerio, ab omnium mox evanuit oculis.

Idem angelus specie juvenis elegantissimi Sanctum Dominicum de nocte ad monasterium duxit et portas reserans introduxit, ut in ejus vita apud Surium, tomo IV. Sed quid serenissimo Maximiliano imperatori antequam imperator esset, contigerit, dum per præruptas rupes Ænipontanas, juvenili ardore rupi capras et ibices insecutus, eo loci evasit, unde nec referre pedem nec ulterius progredi posset, nisi in præcipitium, narrat Stephanus Pighius, in Hercule prodicio et nos supra recensuimus in festo circumcisionis.

II. *Pecuniam a Gabelo recepit; qua nimirum domus Tobiae paupercula sustentaretur.* Addere poterat Tobias quod ejus ope in via sustentatus sit, piscem enim grandem ejus opera cepit, de quo in itinere vivebat.

Ergo angelus custos pascit esurientes et sustentat inopes. Ita enim Genesis XXI. cum Agar filium suum, aqua deficiente, jam animam agentem in solitudine, ad radices arboris adjecisset, ne videret eum siti confici, angelus apparuit et ostendit illi puteum aquæ limpidae, qua moribundum filium reficeret. Ad hæc Danielem in lacu leonum conclusum, per Habacuc ad eundem locum mirabiliter delatum, pavit cibis, qui pro messoribus parati erant, Daniel VI. Eliam etiam refocillavit pane subcinericio et vase aquæ, III. Reg. XIX.

Idem Jacob patriarcham, servientem socero suo Laban mirabiliter ditavit, docendo eum modum et artem, qua adhibita plurima maculosa pecora gignerentur, ut Abulensis et alii recte deducunt